

CLARISSIMO ET NOBILISSIMO VIRO, D. D. ANTONIO POTIER, SACRI CONSISTORII CONSILIARIO, VTRIQVE TORQVATÆ MILITIÆ ORDINI SECRETARIO A REGE DATO, ATQVE IPSI REGI CHRISTIANISS. A MANDATIS Apparenti, Domino de Seau &c. ANTONIVS LE RAT. S. P. P.

EX omnibus quæ mihi occurrebant amplissimis, quibus vt præclaris tuis facinoribus & meritis gratularer, adductus sum (vir Illustrissime) *vnum stemma, vnum tuæ insigne familiæ mihi oblatum est, illúdq; tantò iucundius quantò melius tuæ virtuti ἐκ παραλλήλου respondere animaduerti. Cui enim, vt vno verbo loquar, cristata hæc cassis aptiùs quadrare potest, quàm tuo generi, vel in veteri dignitate, fortunáq; nato, armorum & propriæ virtutis famâ claro. Cui crux illa digniùs competet, quàm tibi vtriúsque ordinis Secretario integerrimo, acerrimi in rebus administrandis iudicij, & summæ in remp. fidelitatis: Iudicij quod ludus ille latrunculorum explicare, in quo, vt scitè notat Olaus Magnus, animi perspicacis solertia intimè exploratur: fidelitatis, quam duæ illæ dextræ tacitè indicare videntur. Quemadmodum enim Memoriæ auricula, genua Misericordiæ, ita Fidei manus consecrata est, eáque à Fide tibi diuinitùs concessa: quantùm enim (vt nec vnquam patris tui meritissimi erga patriam studia & consilia defuêrunt) fidelitate & beneuolentia consequi potest, priuilegijs statuum Gallicanorum perbellè satisfecisti. Quibus Christianiss. Regi perspectis non est veritus tuæ curæ prouinciam alioquin grauissimã, & ad totius regni salutem maximè necessariam, quam omni omnium hominum iudicio probè exerces, demandare. Hæc quasi in angusta tabella delineata, non vt tui nominis gloriam, quæ nec nimis vnquam, nec nimis valdè laudari potest, propagarem: sed vt certissimum aliquod darem meæ erga te obseruantiæ testimonium, cui si tua humanitatis beneuolus fauor arriserit, me maximo beneficio semper deuinctum habebis. VALE.*

507

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXIII. APRILIS, MAGISTRO HENRICO BLACVOD, DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An aliqua excretio antè septimum salutaris?

NATVRÆ lex valida velle viuere; cuius immutabilis stabilitas, quâ prouidè gratulatur omnibus, omniáq; pondere, numero, & mensura moderatur, in eo potissimùm elucescit, quòd morbi statos habeant dies in omni ætate, sexu, tempore, omni deniq; regione, & climate quibus decretoriè iudicentur. Morbus humanæ sorti infensissimus, causam nec finalem, nec materialem aut efficientem agnoscit: nec materiæ, nec formæ species recipit, affectus est præter naturam, primò, & per se actiones lædens, in continentibus sedem tenet, vt causa in contentis: & symptoma, actio læsa, sub qua dolor, (qui vi sibi insita humorem non attrahit) continetur; excrementa, affectus simplex in vtrisq;, propriè in functionibus, à quibus, vt sese expedire queat natura, in futurum ægri commodum excretiones molitur.

CRISIS, repentina in morbo sine metu recidiuæ mutatio, sudore, diarrhœa, perirrhœa, vomitu, hæmorragia siue per nares, siue per vterum, & hæmorroidas salubriter terminatur: morborũ acutorum propria qui causam continentem non repudiant. Adolescentibus, quorum fluxiles sunt humores, meabile corpus, ac iuueniles naturę motus ἔξω, ἢ εἴσω, tùm sudore, tùm hæmorragia perficitur. Pueris, quorum pulsui, aut vrinę ad salutem, aut mortem non omninò fidendum, morbificus humor per insensilem transpirationem euentilatur. Senibus per abscessus. Citę & laudabilis excretionis signa, si post pepasmum, liberè, liberaliter, citò, κατ' ἴξιν, in statu, morbi temporum mitissimo, die critico contingat. Enixis, vt & vulneratis, non à die febris, sed partus, & vulneris morbi principium computandum.

DIERVM alij testium, alij iudicum, alij auditorum vicem gerunt, benè ęgri res agitur, quarto, vndecimo, decimoseptimo quàm optimè de ipso testantibus: vt qui Astræę solia tenent; septimus, decimusquartus, vigesimus, inter impares recensendi, ipsius iura seruando, hoste victo ęgrum, natura duce, triumphatorem reddant. Tertius & quintus in prima septimana. Nonus & decimus tertius in secunda. Decimus septimus in tertia naturę partes tuentur, & lacessitam iucundiùs amplectuntur, inter quos nonus primas habet. Sextus Tyrannus, quibusdam princeps amicus. Octauus, decimus, duodecimus, & decimus sextus morbi tanquàm immanissimi regis imperio conniuentes, crudeliter in subditos irruunt. Horum causa non numerus, non humor melãcholicus, non cõsonantia, & dissonantia, nec Galeni mensis medicus, sed natura in materiã morbificã agens, luna suppetias ferente.

TVRGENTI, & vrgenti materiæ dum natura habenas dare non potens est, quoquouersùm ferocis equi ferantur impetus infaustè aliquando, sed faustè etiam rapi sinit. Symptomaticæ censentur excretiones, quæ sine præuijs coctionis signis, ægrum penè exanimatum, restituunt. Quibus prudenter debet opitulari medicus, vt paucam ipsarum excretionem prouocet, nimiam cohibeat; in pestilenti etiam constitutione exanthematis efflorescẽtibus, purgatione, sanguinis missione, (sed parcendum pueris, non senibus, non prægnantibus) quæ primis morbi diebus tutò celebrari possunt. Die septimo, decimoquarto, Lunæ sextili, tetragono, & alijs tanquàm futilibus relictis.

MORBI exquisitè acuti tertio, & quarto absoluuntur. Delirium, rubor oculorum, lachrimæ inuoluntariæ, extremorum nigricies, labri concussio, vrinarum deprauatus color, & substantia, sanguinis stillicidium, nocte irrequietã comitante, spe medicũ consolantur: vt torpida perfrigeratio, manuum, & totius corporis tremor missionem sanguinis sollicitant. Coctio, vrina bona, pulsus bonus, sitis sedata, fallacia signa. In angina faucium ęqualitas, sputum in pleuritide biliosũ suppressum, parotides suppuratæ spem salutis adimunt. Morbus morbum soluit: febris conuulsionem, apoplexiam. Conuulsio febrem, pleuritidem. Cholera lipyriam. Icterus ante septimum, ardentem. Excretiones, quæ cum ægri tolerantia erumpunt, quoquo die, quantitate, qualitate, loco debitis, optimis ægri rebus succedunt.

Ergo Aliqua excretio antè septimum salutaris.



Asserebat Lutetiæ ANTONIVS LE RAT, Syluanectensis, Anno R. S. 1615.